



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Magdebvrgensi Archiepiscopo, & de Burgelim & de Cella sanctae Mariae  
Abbatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

## 458 Epistolarum Innocentij III.

santes Episcopum, scripturam sibi sub trium nominibus porrexerunt, qua eum tanquam patronum Camaldulenfis heremini dicebant esse suspectum, & ne tempore præcipue messium eos sub suo coheret examine litigare, sedem apostolicae appellarent. Sed eis die sequenti reversis, & renuntiantibus non recusationi quam fecerant, sed appellationi duntaxat, Episcopus partibus alium terminum assignavit: in quo dum de recusatione contenderent coram ipso, Protestas Aretin. superveniens, & judicium illud ad se pertinere proponens, ne in causa procederet interdixit, & ad nostram audientiam appellavit. Nos igitur deliberatione super hoc habita diligent, fraternitati tuae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus causam inter prædictum nobilem & fratres Camaldulen. non obstante contradictione vel appellatione cuiusquam audias & decidas, cogens partes per censuram ecclæsticam &c. Taliter autem Deum habens præ oculis, omni gratia & timore postpositis, in ipsa causa procedas, quod zelum justitiae videaris habere, nosque tuae sollicitudinis studium debeamus merito commendare. Nullis litteris veritati & justitiae &c. Datum Laterani IX. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

*P A N O R M I T A N E N S I,*  
*Montis-Regalis, & Messanensi Archi-*  
*episcopis, & Episcopo Trojano, regni*  
*Siciliae Cancellario, & nobili viro B.*  
*de Lutio.*

*Epiſt. 187.*  
vt de regni  
bonis alienata  
reſtituant.

**I**N quot & quantis vobis duxerimus deferendum, vos per experientiam operis credimus didicisse; cum licet regni balium nobis fuerit ex inclytæ recordationis C. Imperatricis testamento reliatum, vos tamen administrationem ejus ferè totam liberè permiserimus exercere, sperantes quod & vos ad honorem apostolicæ sedis & nostrum, salutem Regis, & statum regni specialius intendere debeatis. Iamduum autem audivimus quod vos multa de dominio Regis diversis personis in beneficium assignatis. Propter quod contra vos grave scandalum est subortum, & ad nos etiam per plurim litteras & nuntios & fama publica clamante delatum. Ne autem id de cetero vel ad culpam nobis, vel vobis imputetur ad pœnam, præ-

sertim cum distractiones hujusmodi fieri ad preces vestras litteris curaverimus apostolicis inhibere, discretionem vestram monemus & exhortamur atten-tius, ac per apostolica scripta præcipien-do mandamus, quatenus ea quæ minus utiliter distraxistis, studeatis utiliter re-vocare, manus vestras de cetero ab hu-jusmodi compescentes; ne nos, licet invitatos, statuere aliud compellatis. Pecu-niam autem pro qua dilectum filium M. Campforem nostrum direximus, ei sol vere non tardetis: quoniam tam eam quam aliam pro reprimendis regni hosti-bus, dante Domino, studebitus utiliter erogare. Adhac, super custodia Regis & regni volumus & mandamus vos effi-caciter intendere ac solicite vigilare. Datum Laterani V. Kal. Octobris.

*M A G D E B U R G E N S I*  
*Archiepiscopo, & de Burgelio & de*  
*Cella sancte Mariae Abbatibus.*

**E**X conquestione nobilis mulieris A. nobis innotuit quod cum dilectus filius Dux Bohemiæ illam cum duxisset legitimè in uxorem, & ipsam viginti annis & amplius velut uxorem legitimam pertractasset, filiis & filiabus ex ea suscep-tis, eandem suadente humani generis inimico à suo consortio separavit, & Pragen. Episcopus convocato quorundam Prælatorum Concilio in quodam monasterio ad petitionem & mandatum ipsius Ducis, ipsa volente ad eos ac-cedere, ut suas coram eis proponeret ra-tiones, militibus ejusdem Ducis prohi-bentibus eis vel ter ingressum, ex parte illius appellatione ad sedem apostoli-cam interposita, sententiam inter eos di-vortij non est veritus promulgare, ac demum ipse Dux quandam aliam, vide-licer foroem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Vngariæ, super-duxit. Quoniam igitur haec salva con-scientia præterire non possumus indiscussa, cum secundum Apostolum sumus omnibus debitores; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præ-cipimus quatenus vocatis ad præsentiam vestram quos propter hoc noveritis esse vocando, inquiratis diligentius veritatem; & quicquid inveneritis, nobis per litteras vestras intimare minimè differa-tis; ut ex vestra relatione sufficienter in-structi, liberiùs in ipso negotio, prout ad nostrum officium pertinet, procedere valeamus. Nullis litteris &c.

*Epiſt. 188.*  
De divorcio  
Ducis Bohe-mie & uxoris  
ejus.  
Vide infra epib.  
197.